UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

Caput centesimum vigesimum secundum. Jesus accusatus silet.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

Visual Library

*in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi.*

Pſalm. 34. 11, & ſeq. *Surgentes teſtes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me ..... quoniam mihi quidem pacifice loquebantur, & in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant: & dilataverunt ſuper me os ſuum: dixerunt, Euge, euge, viderunt oculi noſtri.*

Pſalm. 40. 6, & ſeq. *Inimici mei dixerunt mala mihi, Quando morietur, & peribit nomen ejus? Etſi ingrediebatur ut videret, vana loquebatur, cor ejus congregavit iniquitatem ſibi: egrediebatur foras, & loquebatur in idipſum. Adverſum me ſuſurrabant omnes inimici mei, adverſum me cogitabant mala mihi. Verbum iniquum conſtituerunt adverſum me.*

Pſalm. 63. 1, & ſeq. *Exaudi Deus orationem meam cum deprecor, à timore inimici eripe animam meam: protexiſti me à conventu malignantium, à multitudine operantium iniquitatem: quia exacuerunt ut gladios linguas ſuas, intenderunt arcum rem amaram, ut ſagittent in occultis immaculatum. Subito ſagittabunt eum, & non timebunt; firmaverunt ſibi ſermonem nequam.*

Pſalm. 108. 1, & ſeq. *Deus laudem ne tacueris, quia os peccatoris, & os doloſi ſuper me apertum eſt. Locuti ſunt adverſum me lingua doloſa, & ſermonibus odii circumdederunt me, & expugnaverunt me gratis.*

Pſalm. 119. 2, 3. *Ad Dominum cum tribularer, clamavi, & exaudivit me. Domine, libera animam meam à labiis iniquis & à lingua doloſa.*

Pſalm. 139. 1, & ſeq. *Eripe me, Domine, ab homine malo; à viro iniquo eripe me. Qui cogitaverunt iniquitates in corde, tota die conſtituebant prælia. Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis; venenum aſpidum ſub labiis eorum. Cuſtodi me, Domine, de manu peccatoris; & ab hominibus iniquis eripe me.*

*ſum teſtimonium contra Jeſum, ut eum morti traderent, & non invenerunt, cum falſi teſtes acceſſiſſent. Noviſſime autem venerunt duo falſi teſtes, & dixerunt, Hic dixit, Poſſum deſtruere Templum Dei, & poſt triduum reædificare illud.* Et Marc. 14. 56, & ſeq.

## CAPUT CXXII.

### Jeſus accuſatus ſilet.

ISA. 53. 7. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſum: ſicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.*

MATTH. 26. 62, 63. *Et ſurgens Princeps Sacerdotum, ait illi, Nihil reſpondes ad ea, quæ iſti adverſum te teſtificantur? Jeſus autem tacebat.* Et Marc. 14. 60.

Matth. 27. 12, & ſeq. *Et cum accuſaretur a Principibus Sacerdotum & Senioribus, nihil reſpondit. Tunc dicit illi Pilatus, Non audis quanta adverſum te dicunt teſtimonia? Et non reſpondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur Præſes vehementer.* Et Marc. 15. 4, 5.

Luc. 23. 8, & ſeq. *Herodes autem viſo Jeſu gaviſus eſt valde ...... interrogabat autem eum multis ſermonibus; at ipſe nihil ei reſpondebat.*

2. Petr. 2. 23. *Qui cum malediceretur, non*

maledicebat; cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti ſe injuſte.

## CAPUT CXXIII.

### Jeſu contumeliis afficitur.

PSALM. 21. 7, & ſeq. *Ego autem ſum vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abjectio plebis. Omnes videntes me deriſerunt me, locuti ſunt labiis, & moverunt caput ..... Quoniam tribulatio proxima eſt; quoniam non eſt qui adjuvet. Circumdederunt me vetuli multi, tauri pingues obſederunt me; aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens.*

Pſalm. 34. 16. *Tentaverunt me, ſubſannaverunt me ſubſannatione; frenduerunt ſuper me dentibus ſuis.*

Pſalm. 55. 1, & ſeq. *Miſerere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo, tota die impugnans tribulavit me: conculcaverunt me inimici mei tota die; quoniam multi bellantes adverſum me ...... Tota die verba mea execrabantur; adverſùm me omnes cogitationes eorum in malum.*

Pſalm. 68. 1, & ſeq. *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ uſque ad animam meam. Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia. Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me ...... Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Confortati ſunt qui perſecuti ſunt me inimici mei injuſte; quæ non rapui tunc exolvebam ...... Quoniam propter te ſuſtinui opprobrium, operuit confuſio faciem meam. Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ. Quoniam Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me; & operui in jejunio animam meam, & factum eſt in opprobrium mihi: & poſui veſtimentum meum cilicium, & factus ſum illis in parabolam. Adverſum me loquebantur qui ſedebant in porta, & in me pſallebant qui bibebant vinum ..... Tu ſcis improperium meum, & confuſionem meam, & reverentiam meam: in conſpectu tuo ſunt omnes qui tribulant me, improperium expectavit cor meum & miſeriam.*

Pſalm. 73 22, 23. *Exurge, Deus, judica cauſſam tuam: memor eſto improperiorum tuorum, eorum quæ ab inſipiente ſunt tota die. Ne oblivìſcaris voces inimicorum tuorum: ſuperbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper.*

Pſalm. 78. 12. *Et redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum, improperium ipſorum, quod exprobraverunt tibi, Domine.*

Pſalm. 87. 16. *Pauper ſum ego, & in laboribus à juventute mea: exaltatus autem, humiliatus ſum & conturbatus. In me tranſierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbaverunt me: circumdederunt me ſicut aqua; tota die*

MATTH. 27. 27, & ſeq. *Tunc milites Præſidis ſuſcipientes Jeſum in prætorium, congregaverunt ad eum univerſam cohortem, & exuentes eum chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput ejus, & arundinem in dextera ejus; & genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes, Ave rex Judæorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus. Et poſtquam illuſerunt ei, exuerunt eum chlamyde.* Et Marc. 15. 16, & ſeq. Joh. 19. 1, & ſeq.

Luc. 18. 31, 32. *Aſſumſit autem Jeſus Duodecim, & ait illis, Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis: tradetur enim Gentibus, & illudetur.*

Luc. 23. 11. *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu ſuo, & illuſit indutum veſte alba, & remiſit ad Pilatum.*

Rom. 13. 3. *Etenim Chriſtus non ſibi placuit, ſed ſicut ſcriptum eſt, Impreperia improperantium tibi, ceciderunt ſuper me.*